

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ

De

*Professoribus Reg. Acad. Aboënsis, ab hujus
Natalibus Primum Designatis,*

Pars Prima,



Quam

Conf. Ampl. Facult. Philos. Reg. Acad. Aboënsis,

MODERANTE

**MAG. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,**

J. Bilmark.

*Eloqv. Professore Reg. & Ord. Equ. Ord. R. de Stella Polari,
R. Acad. Litt. Human. Hist. & Antiquitt. R. Societ.
Scient. Upsal. &c. Socio,*

PRO GRADU

Publicæ disquisitioni submittit

PETRUS BLOMBERG,

Stip. Reg. Smolandus.

In Auditorio Majori die 29 Apr. 1801.

Horis a. m. solitis.



ABOÆ,

In Officina FRENCKELLIANA.

11

Journal

Lectori Benevolo salutem dicit Henr. Gabriel Porthan.

Telam Dissertationum, *Historiam R. Acad. Aboënsis* continentium, (quarum VII inter ann. 1770 & 1776 in lucem emissas habemus) a Juvenibus literarum Studiosis se moderante edendarum, pertexere pedetentim constituens, ereptus nuper mortalibus Professor in hac Acad. Historiarum & Philosophiæ Practicæ meritissimus, M. JOHANNES BILMARK, Civitati huic nostræ Literariæ multis nominibus carissimus atque immortalī veneratione prosequendus, materiam ad Vitas Professorum Aboënsium seculi XVII enarrandas pertinentem diligenter collegerat, ejusque operis primis plagulis ultimam jam admo-verat manum. Ne igitur hic fructus diligentiae suæ periret, ac ne Juvenes Clarissimi, qui edendas defendendasque easdem susceperant, consilio speque sua, per mortem Præsidis sui faventissimi exciderent; eas partes quæ prelo jam paratæ erant, reipublicæ literariæ invidere nolimus. Quamobrem easdem, quales Beati Viri diligentia probaverat, ne verbulo quidem mutato, B. L. jam habebis: quibus nonnisi paucissimas notulas obiter adpersimus, Asterisco a reliquis distinctas. Curam vero operis continuandi, vel futuro Beati Viri in munere successorī, vel aliis Historiæ amatoribus atque studiosis Literariæ, com-mendamus.



L.º **M**agister ÆSCHILLUS PETRÆUS, Wer-
melandus, natus An. 15 . . Patre OLAVO
ÆSCHILLI, variis antea muneribus functo, quam
Pastor Ecclesiæ Philipstadiensis An. 1618 constitue-
retur (a). Primis studiorum fundamentis Carolo-
stadii feliciter jactis, Upsaliam se contulit *Æschillus*,
semina eruditionis in hac bonarum mentium officina
ad maturam perducturus frugem; quod eo fecit suc-
cessu, ut præstitis pluribus, eisdemque, sicut inge-
nio & sedulitate eminebat, luculentis eruditionis spe-
ciminibus, Lauream Philosophicam die 15 Junii An.
1619 obtineret. Nec multo abhinc tempore Adjun-
ctus Facultatis Philosophicæ ibidem constitutus, dis-
sertationes 36, partim Metaphysici, partim Physici
argumenti a se elucubratas, Annis 1624 & 1625 in
publicam emissas lucem ex rostris defendit Acade-
micis (b); qua diligentia eam a gl. m. Rege GU-
STAVO II ADOLPHO inuit gratiam, ut Regio
ornaretur stipendio; quo suffultus exteras invisit A-
cademias, studio imprimis Theologico sedulam im-
pendens operam. Quantum autem in hoc profece-

nit, nullum certius est argumentum, quam quod *Celeberrimus Theologiæ Professor Jenensis, D. Johannes GERHARDUS*, a Senatore Regni & Academiæ Upsaliensis Cancellario, Illustrissimo Libero Barone *D. JOHANNE SKYTTE* ad Professionem Theologicam Upsaliæ capeffendam vocatus, eam vero modeste recusans, *Æschillum Petraum*, ut sparta sibi oblata dignissimum, commendaret (c). Quamvis autem hoc munus non impetraret, in Patriam tamen redux Theologiæ Lector in Gymnasio Aboënsi die 21 Martii An. 1628 fuit constitutus, simul An. 1630 Pastor Ecclesiæ Saguensis factus (d). Dehinc die 24 Septembr. An. 1633 Pastor Ecclesiæ Carolostadiensis designatus, quam vero provinciam non accepit; modestiæ suæ hoc ferens præmium, ut die 2 Septemb. anni insequentis Pastor Ecclesiæ Aboënsis denominaretur. Anno 1640 die 16 Martii Primarius Theologiæ Professor in Regia Academia Aboënsi propediem instauranda designatur, insimul Pastor utriusque Ecclesiæ Aboënsis, Svecanæ ac Fennicæ, nec non Parœciæ *Nummis* factus; paucisque hinc interjectis mensibus die 22 Junii *Theologiæ Doctor* in sollemni promotione Upsaliæ habita renunciatur, die 15 Julii insequentis in ipso Academiae Aboënsis inaugurali Festo *Primus Academicæ Auricæ Rector* constitutus; quam provinciam altera vice An. 1649 administravit. Præterea in Promotione Theologica, Aboæ die 16 Maji An. 1648 habita, ad mandatum Regiæ Majestatis *JOANNEM Elai TER-SERUM*,

SERUM, Theologiæ Professore Aboënsi, suum quondam discipulum, *Theologiæ Doctorem* creavit. Ipse denique An 1652 die 31 Augusti Dioeceseos Aboënsis Episcopus & Academiae Auricæ Pro-Cancellarius clementissime constituitur, utrumque hoc munus per quinque solummodo annos, sed in exitum Ecclesiæ & Academiae commodum administrans; peste enim An. 1657 ingruente, in prædio quodam suburbano, quorsum illam evasurus se contulerat, correptus, die 30 Decembr. 1657 obiit, in Templo Cathedrali Aboënsi sepultus, ubi depicta ejus effigies in tabula cernitur ad dextram ambulatorii intermedii partem ex columna suspensa. Matrimonium bina vice contraxit; prioris autem conjugis nomen nos latet; (*) altera vero sua uxor (**) erat ANNA KOCK, nata Holmiæ An. 1606, Patre M. HENRICO KOCK, Ecclesiæ St. Claræ Pastore, & Matre INGEBURGI, M. *Andree Bothniensis*, gl. m. Regis GUSTAVI I. Concionatoris Aulici ac deinde Pastoris & Præpositi Luleåensis Filia, mortua An. 1674 (e).

Scriptis *Æschilli Petræi Aboæ* in publicam editis lucem, & alibi commemoratis (f), sequentia, quæ ad nostram deinceps pervenerunt notitiam, addantur:

I. Concio funebris ex Psalm. CII: v. 12 & 13. in obitum *Sabinæ GYLLENSTOLPE*, Aboæ An. 1652 habita & An. 1654 edita, sub titulo: *De Gudfruk-*

fruktigas öfver en kort Lifstid klagan; och deruppå
tröst. in 4:o

2. Herda-Bref til Åbo Stift, Åbo 1653. in 4:o.

3. Epistola hoc insignita titulo: *Nobilitati & Clero Diœceseos Aboënsis, Studiosorum Theologiæ Parentibus Nutritisque piis ac liberalibus, Studiosæque juventuti, ad Sacros ordines promotionem petenti. Dat. Aboæ die 1 Januarii 1654. in 4:o*

(a) Vid. Cl. FERNOWI Dissert. de Regione Wermelandorum Metallica & Oppido Philipstadio, sub præsidio Cels. Prof. GEORGII, Upsal. edit. p. 18. not. r. (b) Recensentur Dissertationes a Cel. PETRÆO tam Upsaliæ, quam Aboæ editæ a Nob. STIERNMANNÖ in Bibliothecæ Svo-Gothicæ p. 341 seq. & in Aboæ Litterata p. 20. (* Cf. LIDÉN Cat. Dissp.) (c) Vid. GERHARDI Epist. Dedicat. Harmoniæ Historiæ Euangelicæ præmissa. (d) Vid. Maxim. Rever. Profess. Doct. Christ. CAVANDRI Dissert. de Paræcia Sagu pag. 7. (e) Vid. Andr. PETRÆI Programma edit. die 1 Cal. Novembr. An. 1674. Cæterum erit indicandum, nos vitam Rev. Æ. PETRÆI consignasse, facem nobis præferentibus Actis Consistorii Academici, Rev. Episcopo A. O. RHYZELIO in Episcoposcopiæ Tom. I. p. 350. & Carlstads Stifts-Tidningar An. 1786 N:s 9 & 10. (f) Vid. Cl. Mag. J. C. FRENCKELL Dissert. Historiam Regiæ Academiæ Aboënsis expositura Part. VII. p. 3. 4.

(*) Significatum nobis est, in Ampl. CHRISTOPH. HENR. BRAAD Ostrogothia Litterata (MS.) doceri, Petræum in matrimonio (primo) habuisse filiam *Andree Pommerening*, Hollati, qui telonia olim redemerat per Ostrogothiam, cujusque ibidem reliqua etiam progenies enumeratur. P. (***) Quæ ei nuplit a. 1653. P.

II:º SVENO *Laurentii* (a) VIGELIUS, Copia-
 Westmannus, in oppido *Köping* appellato, ditionis
 Westmannicæ, ad finem vergente seculo XVI natus.
 Postquam solidioris doctrinæ fundamenta in publicis
 sibi comparasset Patriæ Lyceis, in Camenarum con-
 tubernio ita inclaruit, ut Scholæ Nycopiensis Re-
 ctor constitueretur; cui autem muneri dum per ali-
 quot præfuisset annos, tam consiliis eorum, quorum
 auctoritati multum tribuit, quam suo in litteris pro-
 sciendi ardori obsecutus, spartam suam reliquit, ad
 celebriores Germaniæ Academias se conferens. Ex
 hac erudita peregrinatione in Patriam reversus, Le-
 ctor Regii Gymnasii Revaliensis, & Ecclesiæ ibidem
 Svecanæ Pastor designatur. Interea vero dum Ny-
 copiciæ commorabatur, eum ab urbis Pastore, post-
 modum Dioceseos Aboënsis Episcopo ISAACO B.
 ROTHOVIO iniit favorem, ut filiam suam ELI-
 SABETHAM ROTHOVIAM impetraret thalami
 sociam, ex qua quatuor suscepit liberos, tres filias
 (b), & unum filium Isaacum Vigelium (c). Cura
 autem Soceri, quem non solum apud Regni Can-
 cellarium Illustrissimum AXELIUM OXENSTJER-
 NA, sed etiam apud Regem GUSTAVUM II.
 ADOLPHUM multum valuisse novimus, factum
 est, ut die 15 Aprilis An. 1633 Primarius Theologiæ
 Lector in Regio Gymnasio Aboënsi designaretur, si-
 mulque anno insequente Ecclesiæ Sagueni præfice-
 retur (d). Annis nonnullis dehinc interjectis, Gy-
 mnasio Aboënsi in Academiam mutato die 9 Aprilis

An. 1640 Secundus Theologiæ Professor in novo hoc constituitur Athenæo; quo munere ex commodo tam litterarum, quam Studiosæ juventutis per X annos est functus; semel interea, scil. An. 1642 Rectoratum Academiae gerens. Viribus autem docendo fatigantibus, in præmium meritorum Præpositus Generalis Ostrobothniæ & Pastor Ecclesiæ in Pedersöre die 19 Octobr. An. 1650 constituitur; cui autem muneri parum ultra annum præfuit, infelici fato, in cujus culpam ipse venit, An. 1652 occumbens (e). Quæ eruditioni VIGELII accepta referimus scripta, sequentia vidimus commemorata, Aboæ in lucem publicam edita:

1. Disp. de Universali Dei Patris voluntate circa salutem hominis, Resp. *Isaaco Sven. Vigelio*, Revalia-Livono 1650 in 4:o.

2. Disp. de universali hominum ad salutem æternam vocatione, Resp. *Laurentio Olai Vigelio*, Wermelando, 1650 in 4:o.

3. Programma, valvis Auditorii Majoris, Dominica Oculi An. 1651 affixum, quo Sacrarum Litterarum Cultores & Studiosi in Regia apud Aboënse Academia convocabantur ad frequentandum Collegium Theologico-Elencticum, sive Polemicum & Disputatorium; nec non ad elaborandum coronidis loco, aliquod Directorium, sive Florilegium Distinctionum Theologicarum, ex studiose perlustratis *Ἐπιτομῶν Θεολογικῶν* Theologorum voluminibus & Polemicis Scri-

Scriptis concinnatum &c. in gratiam eruditorum & optimæ spei proximorum Juvenum publici Juris factum, pretio Præsidis & Directoris *Svenonis Laur. Vigelii*, Copia-Westmanni, S. S. Theologiæ Professoris Ordinarii, Aboæ An. 1651. in 4:o.

(a) In *Nob. STJERNMANNI Aboæ Litterata* idem hic Vir p. 5 perperam *Laurentius*, recte autem p. 46 *Sveno Laurentii Vigelius* appellatur. (b) Scilicet *ANNAM*, Revaliæ die 1 Januar. 1630 natam; *BRIGITTAM*, nat. die 31 Martij An. 1631, & *CATHARINAM*, in flaminia Pastoris Saguenfis die 12 Decembr. An. 1633 natam, nuptam Pastori in Ekenäs Mag. *Johanni Babu*, & post hujus obitum *Mitthiæ Simonis*, Ecclesiæ in Ekenäs Pastori constituto. (c) *Isaacum Vigelium*, Revaliæ die 26 Junij An. 1632 in lucem editum. (d) Vid. *citat. Max. Rev. Professoris D. Ch. CAVANDRI Dissert. de Paroecia Saguenfis* p. 7. (e) In *Libro Ecclesiæ civitatis Jacobstadiensis memoriali* (*Kyrko Boken*) annotatum est: at han (*Sveno Vigelius*) dog hastigt af någon olyckelig händelle, hvartil han dock sjelf varit vållande, vid. Cl. Mag. *H. H. ASPEGRENS Dissert. de Paroecia Pedersöre & Jacobstadio Part. Prior. p. 16*. Quisnam autem infelix hic fuerit casus, nusquam vidimus relatum: pagina modo nominata secundo inter Pastores Jacobstadienses loco nominatur *Carolus Canuti WESTZKNTHIUS*, de quo perhibet *Cl. Aspegren*, hunc fuisse Antecessoris sui, scil. *Svenonis L. VIGELII* filium, cognomen vero mutasse; sed qui *Carolus Svenonis* tunc fuit appellandus. Censuram igitur *Nob. STJERNMANNI* promeruit; ipseque *Cl. ASPEGREN* in altera de *Jacobstadio Dissertatione* p. 81. fatetur heic mendum occurrere. Præcipua Vitæ Sv. *VIGELII* momenta, a nobis allata, accepta referimus *Nob. STJERNMANNI*, a *Celeber. GJÖRWELL*

inserta Libri Nya Swenska Biblioteket alteri volumini p. 271. seq. Svenoni Vigelio æqualis erat Petrus L. Vigelius, Copia-Weßmannus, Regii Dicafterii Aboënsis Assessor, in Ordinem Nobilium deinceps relatus, atque EKENBERG cognominatus, qui proinde, nisi omnia nos fallant, fuit Svenonis frater.

III:o Curriculum vitæ Incltyti Viri JOANNIS *Elai* TERSERI, natione Dalekarli, ordine nunc exposituri, in ipso fateri debemus exordio, Max. Reverendum Theologiæ Professore *Doct.* JACOBUM TENGSTRÖM, memoria TERSERIANA non minus copiose quam pragmaticæ a se elucubrata & An. 1795 publici juris facta (*), Orbi Erudito rem gratissimam nobisque insuper otium præstitisse. Paucæ igitur *Vitæ Terserianæ* momenta Lectoribus enarrabimus, seriem temporum præcipue secuturi. Natus fuit *Joannes Elai Terserus* mense Martio An. 1605, Patre *Elaö Engelberti*, Pastore ac Præposito in Lexand, & Matre ANNA SVINHUFWUD, filia *Danielis Svinhufwud*, in Wika Pastoris. In pueritia usus est proba studiorum manuductione *Æschili Petræi*, de quo nuper locuti sumus; deinde vero Scholas Arosiensem primum ac deinceps Örebroënses eo frequentavit successu, ut An. 1626 dignus haberetur, qui Supremus Scholæ Arosiensis Collega constitueretur. Paulo post ad Academiam se contulit Upsaliensem, Litterisque diligentem adeo impendit operam, ut Comminister in Lexand die 1 Novembr. 1631, & insequente anno Græcæ Linguae Lector

Lector in Gymnasio Arosiensi eligeretur. Sciendi autem ac in litteris proficiendi ardore flagrans, consensu eorum, quorum intererat, ad exoticas se contulit Academias, Religioni addictas Evangelicæ, ampliore in his inventurus occasionem, partam eruditionis suæ supellectilem augendi. In patriam post sexennium hinc reversus, in Promotione Upsaliæ An. 1639 habita Philosophiæ Magister, & quidem agmen Candidatorum ducens, renunciatur; paucis abhinc mensibus interjectis Theologiæ Lector Gymnasii Arosiensis factus (a). Hinc porro die 16 Martii An. 1640 ad tertiam Professionem Theologicam in Academia Aboënsi obeundam evocatur; quam provinciam maxima fide atque improbo studio per septem annos administravit, Rectoris Academiæ munus interea An. 1645 sollerter gerens. Crevit vero indies fama eruditionis *Terferi*, quare gl. m. Regina *CHRISTINA*, apud quam, donec Sceptra Regni tenuit, gratia multum valuit hic Vir, ita quidem, ut Palas hæc Hyperborea Linguam Hebraicam ab eodem addiscere haud dedignaretur, eum ad secundam in Regia Academia Upsaliensi Professionem Theologicam An. 1647 promoveret. Antea vero quam a Camenis discederet Auraicis, ex mandato Reginæ mitram Doctoralem ab Archi-Præposito Aboënsi & Primario Theologiæ Professore Doct. *Æschillo* PE-TRÆO die 16 Maji An. 1648 obtinuit; quem in his oris tunc insolitum honorem & Professores tantum non omnes Aboënses carminibus Latinis in unum

fasciculum editis, & Studiosus *Joannes Laur. Kjäll-*
man oratione panegyrica ei gratulabantur. Decennio
autem hinc elapso ex unanimis tam Cleri Aboënsis,
quam Professorum votis Aboam revertitur, Diœce-
seos Aboënsis Episcopus & Academiae Auraicæ Pro-
Cancellarius die 15 Maji An. 1658 clementissime
constitutus. Per quatuor, & quod excurrebat, an-
nos tam in Diœcesi Aboënsi, quam in Regni Comi-
tiis, multa in commodum universæ Patriæ ac Lit-
terarum magno zelo egit Reverendus hic Præsul,
omnesque suo benefaciendi studio sibi devinxit; edi-
ta autem An. 1663 explicatione Catechismi D. LU-
THERI a se elucubrata, qua quasdam non com-
munes de præceptorum Decalogi divisione, de ho-
nis operibus, de Libro Concordiæ &c. imprimis
vero de descensu CHRISTI ad inferos protulit sen-
tentias, maximum præcipuorum Regni Episcoporum
in se concitavit odium, eo usque exasperatum, ut
licet palinodiam caneret Terferus, de gradu tamen
Episcopali die 25 Augusti An. 1664 dejecteretur. Neo-
silentio erit prætereundum, gravissimum suum Anta-
gonistam fuisse Theologiæ Professore Aboënsi E-
NEVALDUM SVENONIUM, familiariter a se an-
tea habitum, tanta vero Orthodoxiæ laude veluti ef-
fera-

feratum, & humanitatis sensum ita oblitum, ut in causa hac dubia partes accusatoris, judicis & amanuensis agere, religioni sibi nequaquam duceret. Luculentiora autem fuerunt TERSERI merita, quam ut in agro Pargasensi, quorsum exauctoratus secessit, occultari possent; quamobrem hinc die 1 Julii An. 1665 ad Ecclesiae Riddarholmensis curam gerendam evocabatur; paulo post die 19 Julii An. 1668 ad munus Pastoris Ecclesiae St. Clarae, quae Holmiae est, promotus, celebre Collegium Claremontanum erigendum curans; cui autem spartae per triennium solummodo vacavit, die 7 Augusti An. 1670 Episcopus Lincopiensis factus, in hanc provinciam succedens *Sam. ENANDRO*, qui nihil fecerat reliqui, ut periclitantem Terserum opprimeret. An. 1678 die 12 Aprilis in itinere constitutus, apoplexia corripitur, Sudercopiae vitam cum morte subitanea commutans. Bina vice matrimonium contraxit, primum cum *ELISABETHA*, Mag. *Unonis TROILLII*, Pastoris ac Praepositi in Lexand filia, ex qua octo suscepit liberos, &, hac mortua, cum *MARIA GRUBB*, Mag. *Petri Clementis Grubb*, Pastoris in Normelösa filia, quae duos ipsi peperit Liberos, unum filium unamque filiam. Ceterum notandum,

filios suos in Ordinem Nobilium receptos, se **TER-
SER** appellasse, pluresque Nobiles familias a suis fi-
liabus genus suum ducere (b).

Scripta Rev. **TERSERI** Aboæ edita & qua
partem alibi enumerata, nec tamen hoc prætereun-
da erunt loco. Sunt eadem sequentia:

1. Disputatio de Peccato Originis, Resp. *Petro
Petr. Jesenhau*, 1643 in 4:0.

2. Disp. Synodalis in Augustanam Confessio-
nem de Confessione & discrimine ciborum, five tra-
ditionibus, impressa 1643 in 4:0 & d. 17, 18, 19 Ja-
nuar. 1644 ventilata.

3. Disp. de Prædestinatione, Resp. *Jacobo Sig-
fridi Wasenio*, 1644 in 4:0.

4:0 Disp. Super Art. III. Aug. Confess. de In-
carnatione Filii Dei, Resp. *Johanne Ad. Bahn*, 1645
in 4:0.

5. Disp. in Part. II. Primi Art. August. Conf.
de S. S. Trinitate, Resp. *Andrea D. Tretzio*, 1646,
in 4:0.

6. Disp.

6. Disp. super Art. II. Aug. Conf. de Peccato Originis, Resp. *Johanne Mart. Græå*, 1647, in 4:0.

7. Disp. II. in Art. III. Aug. Conf. de Incarnatione filii Dei, Resp. *Svenone Th. GELLENIO*, 1648, in 4:0.

8. Disp. III in Art. III. Aug. Conf. de Incarnatione Filii Dei, ad mandatum Reginæ *CHRISTINÆ*, PS. *Æschillo Petræo*, pro Licentia in Theologia, Resp. *Erico Chr. Myricio*, 1648, in 4:0.

9. Binas edidit Epistolas Circulares, quarum prior est data die 17 Augusti An. 1659, & posterior die 1 Januar. 1660.

10. *Förklaring öfver Catechismum, eller the Sex wår Christeliga Läras Hufvudstycken*, &c. 1663, in 8:0. Memoria est dignum, nullam Tersero fuisse cum cæteris Theologis, suis adversariis, controversiam de vero sensu dictorum Scripturæ S. de *CHRISTI* ad inferos descensu agentium, sed præcipuam hæreseos culpam ei objectam fuisse, quod in isthoc articulo ab Orthodoxis Germaniæ Theologis dissentiret.

(a) In Differtationis de *Professoribus Academicis* Part. I. quam Præside *Claudio ARRHENIO*, postea *OERN-HJELM*

HYELM cognominato, Upsal, Ann. 1682 in 8:o edidit Au-
 ctor *Johannes ROLOTT*, ipse p. 187 memorat, Terfe-
 rum fuisse in Gymnasio Aboënsi Theologiæ Lectorem;
 qua autem fide hoc adserat, alii dispiciant. (b) Vid. *Rev.*
RHPZELII Episcop. Tom. I. p. 142.

(*) Ad quam supplementa postea nastum non contemnenda,
 nec ea in usum reip. literariæ editurum olim non esse,
 speramus. P.

S. D. G.
